Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37127
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Qui odit me odit et patrem meum. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit peccatum non habuerunt. Nunc autem et viderunt et oderunt me et patrem meum. Sed ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est quia odio habuerunt me gratis. Cum autem venerit paraclitus quem ego mittam vobis a patre spiritum veritatis qui a patre procedit ipse testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis quia ab initio mecum estis. Hæc locutus sum vobis ne scandalizemini. Absque synagogis facient vos. Venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare deo. Sed hæc vobis dicam ut cum venerit hora eorum memores sitis quia ego dixi vobis. Non autem a principio hæc vobis dixi quia vobiscum eram. Nunc autem vado ad eum qui misit me et nemo ex vobis interrogat me quo vadis. Sed quia hæc locutus sum vobis tristitia implevit cor vestrum. Sed veritatem dico vobis expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero mittam eum ad vos. Et cum venerit ille arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio. De peccato quidem quia non crediderunt in me. De iustitia vero quia ad patrem vado et iam non videbitis me. De iudicio autem quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso sed quæcumque audierit loquetur et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet pater mea sunt. Propterea dixi quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Modicum et iam non videbitis me et iterum modicum et videbitis me quia vado ad patrem. Dixerunt ergo quidam de discipulis eius ad invicem. Quid est hoc quod dicit modicum et non videbitis me et iterum modicum et videbitis me quia vado ad patrem. Dicebant ergo quid est hoc quod loquitur modicum nescimus quid loquitur. Cognovit autem iesus quia volebant eum interrogare et dixit eis de hoc quæritis inter vos quia dixi modicum et non videbitis me et iterum modicum et videbitis me. Amen amen dico vobis quia plorabitis et flebitis vos mundus autem gaudebit vos autem contristabimini sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit tristitia habet quia venit hora eius cum autem genuerit puerum iam non meminit pressure propter gaudium quia natus est homo in mundum. Et vos ergo nunc quidem tristitiam habetis iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Et in illo die me non interrogabitis amen amen dico vobis quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis usque modo non petistis quicquid petieritis in nomine meo. Petite et accipietis ut gaudium vestrum sit plenum. Hæc in proverbiis locutus sum vobis venit hora cum iam non in proverbiis loquar vobis sed palam de patre meo annuntiabo vobis. In illo die in nomine meo petetis et non dico vobis quia ego rogabo patrem de vobis. Ipse enim pater amat vos quia vos me amastis et credidistis quia ego a deo exivi. Exivi a patre et venio in mundum iterum relinquo mundum et vado ad patrem. Dicunt eum discipuli eius ecce nunc palam loquitur et proverbium nullum dicis nunc scimus quia scis omnia et non habes necessitatem ut quis te interroget in hoc credimus quia a deo existi. Respondit iesus eis nunc creditis ecce venit hora et iam venit ut dispergamini unusquisque in sua et me solum relinquatis et non sum solus quia pater mecum est. Hæc locutus sum vobis ut in me pacem habeatis in mundo pressuram habebitis sed confidite ego vici mundum.